



Reuerendi Patris P. Hieremiæ Drexelii e Societate Iesu Opera omnia

Duobus nunc Voluminibus comprehensa, & libellis ante hac non editis
aucta ; Illvstrata, Indicibvs Moralibus, Locorum S. Scripturæ, Capitalium
Mysteriorum fidei, Rerum, & Concionum quouis anni tempore habendarum
; Congestis Et Compositis Methodo prorsus, alijs Auctoribus inusitata ; Sed
Theologis ...

Drexel, Jeremias

Antverpiæ, 1643

Cap. XXVII. Linguæ imprecantis seu maledicæ damna testimoniis & rerum
gestarum monumentis consignantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77028](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77028)

At verò anima quæ benedicit, impinguabitur. Hinc necessaria conficitur confectio: Anima quæ maledicit, depauperabitur. Propter hoc qui loquitur iniqua non potest latere. Non præterit illum corripiens iudicium. Fædum, horribile, abominandum est vitium mala Imprecatio, quæ aliam voluptatem non spectat quam suam nequitiam. Idcirco Deus hoc flagitium tantopere punit. *Maledicti regnum Dei non possidebunt.*

CAPVT XXVII.

Lingua IMPRECANTIS, seu, Maledicæ damna, testimoniis, & rerum gestarum monumentis consignantur.

Orta est questio in convivio, non abhorrens à mensa rebusque cæcariis: Quis sensus sit illius paramix; Piperatæ pulvis & corpus & animus inquinant. Varia super hoc responsa. Demum unus: Si quid nigrae pulvis, inquit, in niveum collare, aut fericum thoracem, aut candidam mappam incauta manus sparserit, jam ea quæ corporis sunt, maculavit: sed quia non raro tantopere indignamur, huic manus error, & fordes illas forsitan oculis spectaremus bovem in foveam lapsam, quàm vestes minime navo collutatas, Imprecans & Maledica lingua omnium prima se prodit, & fordes illas excratur: Nam, ut ajunt, Munduli tolerare malunt alapam in facie, quàm maculam in veste. Hinc execrationes & sexcenta maledicta; quandoque in cocum aut focarium stomachamur. Hæc autem valde maculant animum. Hæc igitur ratione nigris pulvis, & corpus & animus inficitur. Plausum tulit responsio.

Explicationem paramix confirmans Jacobus Apostolus: Lingua, inquit, constituitur in membris nostris, quæ maculas totum corpus; totum hominem, nempe domum, & domus dominum. Lingua Maledica & Imprecans tantum & sordium & toxici habet, ut hominem, quantum est, inficiat & venenet: neque enim mentem solummodo noxa obstringit, sed ipsum sæpe corpus perfundat, & Satanae habitandum obijcit, uti priore dissertatione cepimus dicere. Jam hoc ipsum compluribus testimoniis, clarissimisque rerum gestarum monumentis testatur consignabimus.

§. I.

Prisci ævi Antistitam Plutarchus ampliter dilaudat, quod in eam mentem adduci non potuisset, ut male precaretur. Cum enim Alcibiades nigro calculo damnatus esset, iussi sunt utriusque sexus sacerdotes absentem execrari. Una noluit, sed & sui consilii rationem reddens: Precibus, inquit, non imprecationibus constituta sum sacerdos. Simile quid sacra nostra nos docent. Laudatissimus ob hoc Balaam (modò diu talis persistisset) quod maledicere noluerit Israël. *Quomodo maledicam,* inquit, *cui non maledixit Dominus?* quâ ratione detester quem dominus non detestatur? In hunc modum maledici oris homo interrogandus foret: Scilicet maledice, quod huic homini Deus maledixerit? cur ergo tu audacissime omnes illi diras, omnes ex Orco diabolos imprecaris? hocene mores Christianos sapit? Ad alia nos Paulus erudiens: *Benedicite, inquit, persequentibus vos: benedicite & nolite maledicere.*

Cum Sergius Paulus Proconsul Romanus, vir gravis & prudens, Christiana sacra à Tarfensi Paulo & Barnabâ doceri cuperet, restitit Elymas magus, Proconsulem à Christo avertere conatus. At Paulus Apostolus effervescentis divino spiritu, & in os homini resistens: *O plene omni dolo & fallaciâ, inquit, fili diaboli, inimice omnis iustitie non desinis subvertere vias Domini rectas? Et nunc ecce manus Domini super te, & eris cæcus. Et confestim cecidit in*

Tom. I.

A cum caligo & tenebræ. & circumiens querebat qui ei manum daret. Tunc Proconsul cum vidisset factum, credidit, admirans super doctrinâ Domini. Quâ ratione igitur, dixerit quis, observavit Paulus illud suum: *Benedicite, & nolite maledicere?* Ut scias, Elymas mago non tam Paulus, quàm Deus ore Pauli maledixit. Et admirandum, vocibus tantum ponderis inesse, ut non verbis solum, sed & factis videantur adscribendæ alæ ac volatus: dictum factum.

Rem Orbi notam testatamque memorans Hippo-nensis Pontifex Augustinus: *Unum est, inquit, quod apud nos factum tam clarum atque illustre miraculum, ut nullum arbitrer esse Hipponensem, qui hoc non vel viderit, vel didicerit; nullum qui oblivisci ullâ ratione poterit. Profectò vel hinc satis liqueat quantum sit Imprecationis malum. In urbe Casarea Cappadocia vidua non ignobilis, decem liberorum mater degebat. Liberi, quorum septem fratres, sorores tres, etatis utcumque jam adultæ, patre defuncto, matrem gravius offenderunt. Illa injuriam à liberis illatam acerbissime ferens, omnibus imprecata est hoc morbi: Ut vos jaceret febris querquæra. Momen-tum ingens habuere matris voces: mox enim tam fratres quàm sorores, horribili membrorum tremore concuti ceperunt, adeo ut nec somnus quidem sedam hanc trepidationem sopiret. Miseri, quia suorum civium oculos ferre non poterat, quaquaversum ab urbe profugerunt, totum pene Orbem Romanum pervagati. Ex his Hipponem etiam delati sunt Paulus & Palladis, frater & soror, famâ tot locis prævolante jam noti. Hic cum adem beati Stephani martyris quotidie frequentarent, omnium civium ora oculosque in se rapuerunt, dum alter alteri calamitatis causam & originem exponit. Demum ambo tam frater quàm soror, in ejusdem Martyris templo valetudinem integram receperunt, miro totius urbis applausu, & gratulatione. Hoc tantum malum decem liberis illorum ab unâ matris imprecatione. Ergo, *Benedicite & nolite maledicere.**

Attexo huic non ab simile, quod Joannes Aretinus commemorat. Mater duos filios indulgentius aquo educarat. At sensit demum blanditiarum suarum non in viâ Zeno-bii exitus. Et quia mater filios verberibus coercendos verbis mulcebat, filii matrem verberare sunt ausi. Illa injuria impatiens, & impotens lingue, imprecata est: Ut vos ageret diabolus. Rata imprecatio. Mox enim filii à malo demone obsessi, seipsos mutuis moribus lacera-runt. Eâ de causâ tanquam rabidi canes carenis sunt vin-cti. Mater quantumvis Christianæ disciplinæ ignara, malo tamen mota ad beatum Zenobium confugit; qui feminæ miseris, in aede Servatoris horis duabus ante crucifixi effigiem precatus, crucis signo demones fugavit. Filii ab hospite tam diro jam liberi, unâ cum matre lustralibus aquisincti sunt. Ergo, *Benedicite, & nolite maledicere.*

§. II.

Locupletissimis illis testibus, Gregorium Magnum virum sanctissimum jure merito accenseo, qui hoc memoriæ prodidit. Florentius in Nursinæ provinciæ partibus, eâ vitæ sanctimoniam præcelluit, ut ipsum velut servum ad quævis ministeria sibi haberet obsequentem. Non valuit effugere invidiam hæc morum sanctitas. E vicino cœnobio quatuor monachi mitissimum feram aggressi occiderunt. Florentius re cognitâ non tam urfi cædem, quàm malitiam monachorum lugebat. Eury-chius illorum antistes, Florentii luctum mitigare tenta-bat, sed inani operâ. Nam Florentii dolor ab his elo-quis auctior, tandem execrationis vocem expressit. Spero, inquit Florentius, hanc tantam petulantiam sup-plicio luculento vindicandam brevi. Quis enim hic fu-ror, animal cicur, & nemini noxium occidere? Deus ab illis pœnas exspectat. Dictum factum. Vindicta vocem illico secuta est, & quatuor illi cœnobitarum leprâ percussi tabescere ceperunt. Florentius vocis suæ vires expave-scens, doluit reperisse Deum ita faventem, & annuen-tem detrimentosis vocibus. Ita maledictum quod semel protulit, omni vitâ desilevit, homicidam se clami-

K k k

tans

tans nimirum crudelem. Addit Gregorius, hoc in eum finem permitti à Deo, ne tam precipites maledictionis spiculum evibremus. Exaudit nos Deus, sed ad nostram perniciem. Quapropter ò maledicæ linguæ, vestram hanc celeritatem pessimam coërcetis *Benedicite & nolite maledicere.*

Zenobius etiamnum in mentem mihi est, cujus res gestæ testantur, adolescentem in parentum domo febriisse, siti adeo pertinaci & inexpugnabili exhaustum, ut adolescentis mater nocte unâ quadragies lecto surgere coacta sit, ut filio potum propinaret. Femina ob situm tam importunam demum impatiens & irata, cum calicem porrigeret: Ut tibi, ait, diabolus hunc haustum benedicat: quoties mihi surgendum? Filius jam ante febriens, ad matris vocem, à cacodemone quoque torqueri cepit (hæc enim diaboli benedictio est) iisque furis agitari, ut adolescens cetera imbecillis & morbo fractus, nullis jam vinculis coërceri, sed nec ab infestore diabolo liberari potuerit, dum ad sancti Zenobii sepulchrum delatus, sospitatem recepit. Ergo, *Benedicite & nolite maledicere.*

§. III.

Hæc ideo, Lector, uberius disserimus, ut maledicæ linguas obruamus nube testium. Scimus validam quercum non uno ictu deici, nec os maledicum ab uno teste satis oppilari; cetera est adducenda, ut discat abstinere maledictis. Illud autem hoc vitium nimis quâ detestabile reddiderit, quod à dña Imprecatio in auctorem recurrat, & plerumque primum vulnus infligat suo domino. Corpus indemne præterit? certe animus ferit. Siracides hoc attestat: *Qui in altum, inquit, mittit lapidem, super caput ejus cadet.* Neque verò Deus abrahamo tantum, sed & Isaac Jacob filio dixit: *Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus.* Sed dicta testimoniis amplioribus firmamus.

*Ecclesiæ. 27.
v. 28.
Gen. 12. 7.
v. 29.*

*1. Can. Nyder.
Formicar.
lib. 5. cap. 11.
medio.*

E divi Dominici familiâ Theologiæ doctor, rem sibi compertissimam narrans: Cum, inquit, Colonia ægerem in Theologiâ, virgo quindecim annorum in adibus cognatæ scyphum fictilem fregit. Cognata mox in fermento esse, & graviter exandescere. Hoc ipsum indignata est virgo, nempe tam vilis vasculi mortem tantis querimoniis deplorari; idcirco mensam accedere recusabat. Cognata Manliano imperio: Accede, ait, & comedite murmuratrix. Hic virgo secū ipsa: Si comedendum, ajebat, comedam in nomine diaboli. Vix libavit cibum, & ori muscam sentit illapsam, & cum eâ ipsissimum, quem advocarat, diabolum. Dirè vexabatur misera ab hoc inquilino, compos tamen rationis semper perstitit. Tentata varia, sed frustra. Demum ex eadem divi Dominici familiâ, vir religiosus, Godefridus Schlusfel, Theologiæ doctor, infernum civem sacris precationibus eiecit. Quid opus, ò improvidi mortales, invitare diabolum? Ultro venit. Sed Colonia Moguntiam abimus.

*Isaiah. Gailer.
à Kaiser.
1. Berg. lib. de
orib. peccatis
dominica
Lectare. mi-
hi pag. 40.*

In ditione Moguntinâ Ecclesiastes pro suggestu in calceos rostratos (qui illius avi luxum accendebant) acerrimè invehens est, diaboli commentum esse asserens, tam prodigiosam calceandi rationem. Concioni futor intererat, qui contractius lucrum præmetuens, obijectionem hanc ægerimè tulit, &: Quid calcei ad hunc sacrificium? ait, Ut illius verticem morbus fonticus invadat. Sic indignabundus excessit templo. O miser, misisti lapidem in altum, sed in caput tuum recidet. Dum ergo hic futor domum properavit, in viâ obvius ei factus est vir procerus & terribilis veste prasina amictus qui capite prehensum affixit humi. Sed prius vertici cruentam notam impressit, tanquam si orbem rasisset.

Impos sui, horam sic jacuit; tandem à ceteris illius concionibus auditoribus domum suam delatus, sibi que restitutus, omnia ordine aperuit, suoque damno do-

A cuit, nemini maledicere. Ergo, *Benedicite, & nolite maledicere.* Nam quod Siracides affirmat, *Dum maledicit in-*

pius diabolum, maledicit ipse animam suam.

§. IV.

Nec ab hoste veritas repudianda. Narrabat olim Coloniæ perquam indulgenter educatum cò degenerasse, ut parenti geminis digitos præciderit. Parens tam cruciatu tantâ injuriâ exacerbatus, precatur filio: Ut te improbi-

me corve, Albi fluvius glutiat. Neque distulit Deus vindictam. Eodem ipso die filius ad parentis votum submersus est Albi.

Priora confirmat, & rem probè cognitam fide optimâ narrat, quem supra dixi, Cæsius: Non procul Aquæ urbe, in monte Salvatoris noster Antistes (inquit auctor) operatus est sacris. His finitis mulier, diaboli hospita est adducta. Antistes sacros libros mulieris capiti imposuit, & exiis Evangelium Ascendens Christi Domini recitavit, cumque verba illa pronuntiaret: Super ægros manus imponent, & bene habebunt, cacodæmon teritis omnibus, horrendum fremere, ac vociferari cepit. Exire jussus, id unum respondit: Hoc nondum vult Altissimus. Interrogatus quâ ratione eam domum occupasset, altum siluit. Femina demum ab hoc hospite liberata, fallâ est se marito succentente dixisse: Abi in nomine diaboli. Proinus ab hoc dicto sensisse diabolum per auriculam illapsam. Celeritius est hic hospes ab Orco, & antequam omnem invitationis formulam absolvas, jam adest, jam totus in totâ domo est. Ergo, *Benedicite & nolite maledicere.* Recentius est quod addo, Anno Christiano sexcentesimo decimo nono. In Salisburgensi agro Mauterendorfi caupo, ut fama est, famulum domo exclusit, pensunculâ, quam pactus fuerat, negat. Atque ut injuriæ fucum faceret, servo in os obijciens: Hæc ajebat, & hæc mihi furatus es. Pactam ergo mercedem nego. Servus meliorem conscientiam erectus: Nihil, hære furatus sum, identidem respondebat. Diu tenuit hæc verborum velitatio. Lite demum ad judicem delatâ, caupo projectæ vir audaciæ: Nisi verum, inquit, dixero, in meis me peccatis Deus puniat. Hem dirissimam imprecationem! Et voto Deus annuit. Nam caupo eo quo fletat loco, repentinâ morte corruit. Tanti ponderis fuerunt verba quæ protulerat. Huic rectè dixerit Deus: *Amicus, non facto tibi injuriam: tolle quod tuum esse voluisti.* Fiat tibi secundum fidem tuam.

Aded autem diabolus & verus, & vel pictus est fugiensus, ut nec temere quidem nominandus sit. Expleo. Civis Bernensis, Petrus, maleficarum iudex, vir integer, aliquot diebus extra urbem in castro Blanckenburg apud cognatum egit negotii causâ. Eo ita urgebatur, ut somnum noctu abrumpens lecto surrexerit, scripturæ litteras ad maturandum iter. Sed videbatur Petro sol jam vicinus esse, diffugientibus stellis. Quare vestes raptem induit, precibus, quas ex more præmutere solebat, omisiss. Sic ad locum inscriptionis properat. Ubi clausum reperit, prius sibi, quod plus æquo dormisisset, dein & loco graviter indignatus. Ergo ad lectum, inquit, in nomine diaboli redibo. O Petre, malum hoc nomen est, nec quidem nominandum. Mox senties. Nam vix dum abiit ab ore vox incautus, & Petrus per scalarum gradus, quos ascenderat, præceps rejectus est: eâ vi, ut sensu nimis & rationis expertus jacuerit multo fluens sanguine. Arque sic à famulo repertus est. Ubi ad se rediit, linguam aberrasse cognovit. Vires autem eo lapsu miserè afflictas vix tribus hebdomadibus reparavit.

Imprecari, maledicere, diris devovete, cacodæmonem vocare, non inutile solum & ab omni voluptate sterile, sed etiam adeo terribile, simul tamen tam pervulgatum est flagitium, ut sepiissime divina iustitia vindicæ manus non contineat, sed reos exemplo feriat (ut videmus) quo

CAPVT XXVIII.

Lingua IVRAMENTIS assueta, quam
sit exitiosa.

Complures morbi sunt, quibus certius cognoscendis, luculentum signum petitur à lingua, quam agrotus in eum finem subinde protendit inspiciendam medico. Anatomia periti ajunt cor & linguam nervo conjungi uno: hinc signa valetudinis à lingua peti. Qui nosse cupit, quo quis morbo laboret, linguam inspiciat, verba consideret, sermonem observet. Lingua nuntius, & index cordis est. Qui psittacum avem, è plumulis, è pascu, è volatu non norit, saltem noscet è garritu: qui nescierit, quos hi, aut isti, aut illi mores præ se ferant, attendat quid garriant. Ita Socrates inspecurus adolescentis animum, contemplatus est linguam: loqui cum iussit, ut videret quam commodis esset moribus. Avis à rostro, & cantu optimè dignoscitur: humanus animus colloquii exploratur. Qui curiosus Pharmacopolium lustrat, ut pyxidum opes indageret, operculum movere, pyxides aperiri, mox aut fragrans moschum, aut assa dulcis, aut suaveolens balsamum, aut graveolens Castorium, aut assa foetida se prodiit. Lingua cordis operculum est, hoc amove, & nosces illud.

Explicatissimè Christus: *Bonus homo, inquit, de bono thesauro cordis sui profert bonum, & malus homo de malo thesauro profert malum. Ex abundantia enim cordis os loquitur.* Neque aliter Siracides: *In lingua, inquit, sapientia dignoscitur: & sensus, & scientia, & doctrina in verbo sensati.* Neque aliter Augustinus: *Nam quid velis cor, ait, lingua testatur. Ergo, ante sermonem non laudes virum. Nam, sicut rusticatio de ligno ostendit fructum illius: sic verbum ex cogitatu cordis hominis.* Pyrus non fert mala, nec nullus pyra vel pruna: sua cuique indoles, suus cuique genius est, ad hos illosve fructus ferendos.

Caiphæ Pontificis cultus janitrix, Petrum Apostolum designata est dominum compellare: Homo vilis, Galileus est, aiebat, ipsum loquela ipsius manifestum facit. Plerumque vix paucas voculas effamur, & an Germani, Itali, Hispani simus, ab idiomate arguimur: Ita proflus, quid quis clausum gerat pectore, lingua facit perspicuum. Verissimè dixit Socrates: *Qualis vir, talis oratio, qualem avi rostrum est, talis & cantus est: quales cuiusque sermones, talia plerumque sunt & facta.* Quod optimè dixit Aristoteles: *Qualis quisque est, talia & ait.* Imaginem animi esse sermonem, optimè interpretatus Christus: *Que autem, inquit, procedunt de ore, de corde exeunt, & ea inquinant hominem.* Inter hæc oris inquinamenta longè perniciosissimum est Lingua turans, seu, Jurandi consuetudo multò pessima, de qua copiosius jam disserendum.

§. I.

Temerariam jurandi consuetudinem adeò severè prohibet Deus, ut satis sit divinæ legis verba recitasse. Hæc sunt: *Non assumes nomen Domini in vanum, nec enim infonem habebit Dominus eum qui assumpserit nomen Dei sui frustra.* Lex hæc unica, Christianis omnibus, instar mille concionum sit. Certè vltèr serius & magnæ auctoritatis, ad puerilia quæque se testem produci non sinit, & Deus rex cæli toleret, ut eum nugarum, iurò & mendaciorum nostrorum testem advocemus? Quid enim est aliud, Jurare, quam Deum testem invocare? Clarè Augustinus: *Itane verò, ait, quisquis es pravi cordis & perversi, si dicas, per Deum, juras: si dicas, Testis est Deus, non juras? Quid enim, per Deum, nisi, testis est Deus? Aut quid est, testis est Deus, nisi, per Deum?*

Res ardua circumspectionis est, juramentum licitum. Aut nullum, aut, malum est juramentum, quod iudicio, veritate, & iustitiâ destituitur. Hieremias vates expressit:

mus) quo mortales citius huic maledicentiæ & imprecandi libidini defuiscant, discantque benedicere & non maledicere. Lata est sententia: *Maledicti regnum Dei non possidebunt.* Odit Deus & arceat hominem, cuius maledictione os plenum est, & amaritudine & dolo, sub cuius linguâ labor & dolor. Quibus animus est æternis laudibus Deum venerari, iis nunc incipiendum, nempe ab hominibus ducendum est principium, quod in Deo sine fine finiatur. Quisquis poterit injurias maledictis non pensare, & Paulo præceptore, etiam persequentibus benedicere, Orbis supremo die benedictionibus infinitis honorabitur: Bene illum, bene corpus, bene animum, bene omnia illius. Ergo, *Benedicite & nolite maledicere.*

§. V.

Sed vulgatum illud orbi admirandum maledictum non omiserò. E signatis tabulis hoc recitabo, & testes sitam fide dignos. Conjugem Comitissæ in Hollandiâ Margaretam paupereula mulier, quæ gemellos ulnis gestabat, stipem rogavit. Comitissæ conjux non solum stipem negavit, sed & convicium addidit, adulteri eam insimulans, ob prolem tam numerosam. Perculit feminam graviter & repulsa & contumelia. Ergo audet & imprecatur: Velit Deus, ut tu, ô domina tor proles parias, quot annus dies continet. Voluit omnino Deus ratam esse imprecationem. Ita uxor Comitissæ evoluit mensibus, partu uno trecentos sexaginta quatuor liberos enixa est. Et quia omnes in lucem vivi prodierunt, ab Ultrajectino præpiscopo Guidone facto tore tincti, sed paulò post unum cum matre defuncti sunt. Extat hodiè que in Loldunenfi virginum cenobio inter Leydam & Hagam Comitissæ sibi epitaphium, quod hanc repræsentat inscriptionem.

Illustri Domini Florentii, Comitissæ Hollandiæ filia, cuius mater fuit Mathildis, filia Henrici Ducis Brabantie, frater quem quod habuit Guilielmum Alamaniæ regem: hæc præfata domina Margareta, Anno salutis millesimo ducentesimo septuagesimo sexto, ætatis sue anno quadragesimo secundo, ipso die parasceves, horâ nonâ, ante meridiem peperit infantes vivos promiscui sexus, numero trecentos sexaginta quatuor, qui postquam per venerabilem Episcopum Dominum Guidonem suffraganeum, præsentibus nonnullis proceribus, & magnatibus in pelvi quadam Baptismi Sacramentum perciperent, & masculis Ioannes, femellis vero nomen Elisabeth impositum fuisset, ipsorum omnium simul cum matris animâ ad Deum æternaliter victuræ redierunt: corpora autem sub hoc saxo requiescunt.

En, Lector, tabulas signatas. Quam facilis est Deus imprecationi, præsertim pauperum annuere, & veneratorum leges solvere, ne irrita cadat Imprecatio. Multorum vota maximatum vitium sunt. Finio, sed prius addo recentissimum ac planè musteum Imprecationis specimen. Nimirum tam alius quam sibi ipsi malè precari pessimum.

Hoc ipso, quo hæc typis parantur, anno millesimo sexcentesimo vigesimo octavo Augustæ Vindelicorum duæ mulieres mater & filia in gravem furti suspensionem haud temere venerunt. At illæ, quod increbrescentem ejus facinoris famam à se propularent, ita Deum obtestatae sunt, ut, si fontes essent, horribili pestilentia utramque pareretur afflari, idque ad designatum diem, & quod ampliùs, certo pestiferarum plagarum numero expressio. Audiit hæc vota Deus, & annuit. Venit itaque jurata dies, & simul pejerata pestis, quæ servato fide plagatum numero (quaternas una, novenas altera sibi fuerat imprecata) utramque feminam invasis, & simul documento manifesto fuit, pejeranti & malè precanti lingue iudicem vindicemque instare Deum.

Millies dixerò, nec id satis unquam imprecassero: *Benedicite, & nolite maledicere.*